LIBER QVINTVS


INSTRVMENTIS NONNVLLIS ASTRO nomicis motus Lunæ depræhenſionem, & in longitudine & in latitudine proſequitur. Habitudinemq; ſuam in ſuis & partibus uariam ad Solem & terram &c. cum diuerſitate aſpectus perſpicaciſſime declarat.

PROPOSITIO PRIMA.



INSTRVMENTVM ARmillarum componere.

¶Duæ armillæ decentis & eiuſdem magnitudinis ſuperficierum lenium, ita primum ſibi inuicem inſerantur, ut una uicem eclypticæ, alia uicem coluri ſolſtitiorũ teneat. In polis eclypticæ, ſcilicet in coluro figantur duo clauiculi rotundi æqualis magnitudinis, ita quòd exterius & interius promineant, His ſuperaddemus duas alias armillas. Vnam quidem affixam interius, ut ſuper polis zodiaci uoluatur in clauiculis prædictis, ita ut motu facili ſua exteriori ſuperficie contingat eclypticę ſuperficiem interiorẽ. Aliam affixam in eiſdem clauiculis exterius, ut ſuper eiſdem polis eclipticæ motu facili in prædictis clauiculis uolui poſſit, ſua interiori ſuperficie, ſuperficiem exteriorem eclypticæ contingendo. Armilla autem quæ uicem eclypticæ tenet, diuiſiones habeat 360. gr. horarum, prout fieri poteſt per ſubdiuiſiones. Similiter armilla quæ interius clauiculis affixa eſt, quæ uicem circuli latitudinis Lunæ aut ſtellarum tenet, 360. diuiſiones graduum habeat. Huic interiori armillæ, quæ latitudinum eſt, adaptabimus aliam armillam, quę in ea moueri poſſit, & habeat ex oppoſito diametraliter duas pinnulas. Verum in idem redibit, ſi centro huius interioris armillæ aptaueris regulam cum pinnulis & linea fiduciæ ſicut in aſtrolabio ſit, poteſt enim uicem armillæ ſupplere, id fit propter latitudines Lunæ & ſtellarum accipiendas. Præterea in armilla quæ uicem coluri ſolſtitiorum tenet, ſecundum quantitatem maximæ declinationis, ſumes puncta à polis eclypticæ, quibus axes polorum mundi figendi ſunt, ut ſuper eis totum hoc inſtrumentum uolui poſſit. Tandem ei ſedes præparanda eſt, quæ ſit armilla, exterius quidem quadrata, interius uero immobilis circularis, habens ſibi clauiculos polorũ mundi infixos, ut totum inſtrumentum ſecundum motum primi mobilis in eis uolui poſſit, habens polos eleuatos ſecundum regionis, in qua fueris habitudinem. Et ſit hæc ſi armilla uicem meridianã tenens orthogonaliter ſuper ſuperficiem horizontis erecta.



PROPOSITIO II.

Locum ſtellæ in longitudine & latitudine huius inſtrumenti auxilio inuenire.

¶Situato inſtrumento in regione tua ut debet, quòd armilla immobilis uicem meridiani ſui ſuppleat, & poli inſtrumenti polis mundi reſpondeãt, dum